Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26050
Copyright: Admont, Benediktinerstift

non se ad imaginem reparatoris sui adtollat. Ipse enim dicit. Sancti esto-
te quia ego sanctus sum. hoc est me eligite et ab his que mihi
displicent abstinete. Facite quod amo amate quod facio. Et si
videtur difficile esse quod iubeo. ad iubentem recurrite. ut un-
de datur preceptum prestetur auxilium. Non negabo opem qui tribui
voluntatem. Ieiunate ab adversis abstinete a ceteris ego sum
cibus vester et potus. Nemo que mea sunt inefficaciter concu-
piscit. Qui enim ad me tendit, ex mei participatione
me querit. His dilectissimi cohortationibus quibus nos ad bo-
na incommutabilia et ad gaudia invitat eterna ple-
ne sunt omnis divine pagine scripture et hoc no-
biscum agit testamenti utriusque doctrina ut inherentes
veris et contineamus a vanis. Non enim apprehendi potest
quod promittitur nisi custoditum fuerit quod iubetur. Quid autem
iustius quam ut homo cuius fert imaginem faciat volun-
tatem et abstinentiam cibi ieiunet a lege peccati. Ideo
enim ipsa continentie observantia quatuor est assigna-
ta temporibus. ut in idipsum totius anni redeunte decur-
su cognosceremus nos indesinenter purificationibus indi-
gere. semperque esse nitendum dum in huius vite varietate iacta-
mur ut peccatum quod fragilitate carnis et cupiditatum
pollutione contrahitur ieiuniis atque elemosinis deleatur. Esu-
riamus paululum dilectissimi et aliquantulum quod iuvandis
possit prodesse pauperibus nostre consuetudini subtrahamus. Dilec-
tio proximi dilectio dei est qui plenitudinem legis et prophe-
tarum in hac gemine caritatis unitate constituit. ut ne-
mo ambigeret deo se offerre quicquid homini contulis-
set dicente domino salvatore de alendis iuvandisque